



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Sectio 2. Vtrum ad satisfaciendum requiratur gratia viatoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

penitentia remissionem poenae temporalis con-

4
Ead. 4.

cedi. Confirmant hoc praeterea illa sacre Scripturae loca, in quibus operibus misericordiae peccatorum venia permittitur. Tob. 4. Eleemosyna a peccato liberat & non patietur animam ire in tenebras: ubi aperte sermo est de poena vitae futurae, quae per eleemosynas compensari dicitur. Vnde Ecclesiast. tertio. Sicut aqua extinguunt ignem, ita eleemosyna peccatum: & in hunc sensum exponitur à Sanctis verbum illud Christi, Lucae

Luc. 11.

11. Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis, quod intelligitur de munditia à reatu poenae, si tamē homo potius à se culpam abiecerit, ut exposuit Bas-

Basl. August.

fil. in regulis brevioribus in 271. & Augustin. in Enchir. capit. 73. eodem modo dicit, orationem dominicam, & eleemosynam delere & venialia peccata, & grauiora, si homo in meliorem mentem mueretur per penitentiam: ubi de remissione peccati quoad poenam temporalem loqui necesse est. Eandem vim habet illa promissio Christi, Ioannis decimo quarto. Si dimiseritis hominibus peccata eorum, remittet & vobis Pater caelestis: remissio enim iniuriarum quaedam eleemosyna est, ut Aug. exposuit.

5
Irenaus.

Tandem confirmari potest haec veritas Sanctorum exemplis: nam ab ipso Adam hoc poenitentiae, & satisfactionis genus inchoatum esse, testis est Irenaeus libro tertio contra Haereses capitul. trigesimo septimo, ubi inquit, haec poenitentiam significatam fuisse, per succinctorium, ut ipse loquitur, ex solis sculneis confectum, quo se coniecit Existensibus (inquit) alii solis, qua minus corpus eius vexare potuissent. Sic etiam

Epiphani.

Epiphani. H. res. 46. dicit, Adam castigationem non vulgarem natum in sudore, & labore degisse, & e regione paradisi habitasse, ut ipsa memoria prioris status eum ad poenitentiam excitaret. Similia indicat Augustinus secundo de Peccatorum merit. capitulo trigesimo quarto, & huiusmodi Sanctorum exempla tum in Scripturis sacris: tum in aliis Historiis, quae gesta Sanctorum referunt, frequentissime leguntur. Haec vero nunc sufficiunt ad hanc veritatem confirmandam. Solum est obseruandum, nonnulla ex his, quae ex sacra Scriptura adduximus, interdum à Patribus alio modo exponi, & praesertim de remissione ad culpam, quatenus haec opera, vel praeparant, vel impetrant auxilium, quo possit homo ad culpae remissionem disponi. Sed hoc non enervat vim dictorum testimoniorum: tum, quia in multis eorum, vel solus alius est sensus literalis, vel est maxime proprius: tum, quia, licet Sancti aliter interpretentur, non tamen huc sensum excludunt, sed illum docent aliis locis: tum etiam, quia à fortiiori potest ex illis sumi argumentum, ut ex Chry-

August.

stomo supra vidimus.

6
Probat
assertio à
priori.

Ratio à priori huius veritatis pendet ex his, quae de modo huius satisfactionis in sequentibus dicenda sunt, nunc congruentiae reddi possunt. Primo, quia, cum homo in hac vita sit in statu viae, oportuit locum, tempus, & modum quo possit animum perfecte purgare ab omni culpa, & reatu eius, illi concedi. Secundo, quia magis est mereri vitam aeternam, quam remissionem poenae temporalis consequi. Tertio, quia hoc modo magis excitantur homines ad virtutem, & ad crescendo in meritis, & amorem, & reuerentiam erga Deum ostendendam, magis etiam à peccatis, & concupiscentiis abstrahentur, & denique haec est optima via ad rescandam vitam, & radices peccatorum mortificandas.

ASSERTIO II.

Hominem iustum pro suis peccatis satisfacere.

7

Deo secundo, Homo iustus per sua opera absolute, & simpliciter dicendus est pro suis peccatis

A satisfacere. Haec conclusio est contra Michaellem Bayum, quam ferè & què certam ac superiorem esse censet: ita enim loquuntur Theologi omnes, ut videre licet d. 15. & 19. similiter omnes Catholici scriptores, ac denique tota Ecclesia. Neque est nouum hic loquendi modus, ut Haeretici obiciunt: quantum enim hoc nihil oblatet, si res ipsa esset antiqua: tamen etiam voce satisfactionis vtuntur antiquissimi Sancti, Cyprianus lib. de Lapsis prope finem, ubi dicit, agendam esse poenitentiam, ne quod videtur minus esse in qualitate criminis, negligita satisfactione, cumleitur: Idem Epist. 8. & 10. alias lib. 3. Epist. 14. & lib. 4. Epist. 4. Idem Tertul. lib. de Poenit. cap. 9. & circa finem, ubi describit habitum, & modum poenitentiae. Aug. locis citatis, & lib. de Vera, & fall. poenit. saepe. Videri etiam potest tract. 124. in Ioan. & 22. contra Faustum capit. 67. & Hieron. Epist. 17. quae est epistolum Paulae, paulò post principium, Ambros. lib. de Poenit. capit. 10. Gregor. hom. 34. in Euangelia. & lib. 6. Reg. cap. 1. versus finem, & alios infra referam. Denique Concil. Tridentinum ita loquitur, & fusius Tridentinum sess. 14. c. 8. & 9. ubi quantum definit hanc nostram satisfactionem in Christo fundari, docet tamen nos verè esse, qui satisfacimus per virtutem, & iusticiam ab illo acceptam.

Et ratione confirmatur, quia nos vere coram Deo meremur, & non solum ad praesentia nostrorum operum applicatur nobis meritum Christi: ergo similiter per nostra opera satisfacimus. Patet consequentia: tum quia non est maius hoc posterius quam prius, imò potius minus. Tum etiam, quia Concilia, maxime Tridentinum supra, & in sessio. 6. ca. 14. & 26. eodem modo de vtroque loquuntur. Tum praeterea, quia eadem virtus gratiae, & omnes aliae conditiones requiritae in satisfactione, sicut in merito concurrunt: & sicut per meritum ius ad praemium acquirimus, ita per satisfactionem poenam nobis debitam compensamus, & soluimus, ut in sequentibus euidentius constabit. Tum maxime, quia non magis satisfactio nostra repugnat dignitati Christi satisfaciendi, quam meritum dignitati Christi meritis: quia nostra satisfactio eius satisfactioni innititur non solum quia per illum habemus virtutem satisfaciendi, sed etiam, quia nostra satisfactio propter ipsum acceptatur, & ut rationem iustitiae participet, in eius satisfactione fundatur, ut latius in materia de incarnatione explicatum est. Ex quo solum est fundamentum contrariae sententiae, de quo legi potest Basl. in regulis brevioribus in 12. & Gregor. lib. primo Regum capitulo secundo. Neque occurrit alia haereticorum obiectio, quae digna responsione videatur: quaedam enim, quae ex Patribus obiciunt, praesertim ex Ambrosio, & Chrystomo, & per se facilia sunt, cum de horum Sanctorum sensu satis supra citatis constet, & supra disp. 5. tractando de effectibus Poenitentiae, & d. sp. 9. tractando de praestitutum Poenitentiae factis explicata sunt.

SECTIO II.

Utrum ad satisfaciendum necessaria sit gratia viatoris.

Ostendimus satisfactionem nobis esse possibilem, ut igitur declarem quae & qualis illa esse possit, oportet de omnibus conditionibus ad hanc satisfactionem necessariis sigillatim dicere, quae ex parte operantis, qui satisfacit & ex parte operis, quo satisfacit, & ex parte Dei cui satisfacit, considerari possunt: ex parte autem operantis duae solum conditiones requiri possunt: scilicet gratia, & status viget de quibus, in hac quaestione dicendum est.

Fuit

Quorundam sententia.
 Scot.
 Maior.
 Gabr.
 M. d. m.
 Nauar.
 Durand.

Fuit autem quorundam Theologorum sententia, posse hominem peccatorem, & gratia Dei carere remissis debita. Ita Scotus 4. d. 15. q. 1. art. 4. Maior q. 1. Gabr. d. 16. q. 2. ar. 3. dub. 3. Medin. tract. 3. q. 5. dub. vlt. Nauar. c. 1. de Pœn. d. 6. n. 47. Fundamentum est: quia pœna temporalis est finita: ergo compensari potest per æqualem pœnam absque gratia, vel dignitate personæ patientis. Vnde inferunt hii auctores, etiam in inferno hanc pœnam temporalem solum fatifacendo in quo cum illis consentit Durand. d. 21. q. 1. Et ratio est: quia illa pœna est finita in intensione, & duratione, cum temporalis sit: ergo, si quis illam patiat, nihil amplius debet, in quocumque statu illam sustineat. Et confirmatur quia alias pœna, quæ per pœnitentiam ex æterna in temporalem commutata erat, per subsequens peccatum ex temporali fieret æterna, quod est inconueniens: quia, donatus Dei sunt sine pœnitentia.

ASSERTIO. I.

Nullum in peccato mortali posse fatifacere.

Dico tamen primo, Nullus in peccato mortali existens potest fatifacere pro pœna temporali, ratione peccati alicuius debita. Hęc est communior sententia Theologorum in 4. d. 15. D. Tho. q. 1. art. 3. quæstionum. 2. Bonau. art. 1. q. 3. Rich. art. 1. q. 5. Dur. q. 2. Pal. q. 3. Alenf. 4. p. q. 85. membr. 1. alias quæst. 24. memb. 4. artic. 1. Marfil. in 4. quæst. 11. art. 2. Henric. quodlib. 6. q. 13. Anton. 3. p. tit. 14. c. 20. §. 2. Adrian. quæstio. de Satisfac. & quodlib. vlt. Caietan. tomo primo Opusc. tract. 6. quæst. 2. Soto d. 19. q. 1. art. 4. Petri Soto lect. vlt. de Satisfac. Victorinum. 20. Ledesm. in 4. d. part. quæstio. 13. artic. 2. & 3. Et post Concilium Tridentinum videtur res alio certa, vt contrarium non possit probabiliter defendi: parte enim sessione 14. cap. 8. & can. 13. & 14. definit satisfac. hanc non esse opus nostrarum virium, sed esse opus gratiæ datæ per Christum Iesum, à quo omnis nostra sufficiens est. Nam qui ex nobis inquit tanquam ex nobis nihil possumus, cooperante qui nos confortat, omnia possumus, vt omnis gloriatio nostra in ipso sit, in quo viuimus, in quo mouemur, in quo fatifacimus facientes fructus & gnus pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab alio offunduntur Patri, & per illum accipiuntur à Patre. Dicit aliquis, hinc recte colligi, gratiam aliquam auxiliariam ad satisfaciendum requiri, non vero satisfac. gratiam, quæ cum peccato mortali repugnat. Sed in primis contraria opinio, vt ex fundamento eius constat (quod hinc facile euerteretur) neque auxiliariam gratiam requirit, quælibet enim proportioalem pœnam fatifac. esse putat. Deinde obstant verba Concilii, dicit enim satisfac. tionem esse fructum gratiæ Christi in quo viuimus, & c. requirit ergo spirituale vitam, vnde quoad hoc idem iudicium de merito, & de satisfac. facit.

Ratione arguuntur: quia pœnæ huius vitæ per se ac nude sumptæ non sunt comparabiles, nec proportionem habent cum pœna vitæ futuræ: ergo per se non habent valorem, vt remittant illam pœnam: ergo necessaria est gratia, à qua hunc valorem accipiunt. Hęc autem gratia non solum est auxiliariæ: sed præcipue debet esse sanctificans, vt conferat dignitatem personæ, à qua satisfac. ipsa habet valorem, & moralem proportionem ad debitum persolendum. Et confirmatur: quia vel peccator potest fatifacere de condigno, vel de congruo: non primū, quia peccator quandiu in peccato mortali est, dignus est, vt omni bono priuetur: & ideo incapax est vt de condigno mereatur, vel fatifaciat: & ideo gratia est principium omnis iustitiæ apud Deum
 Fr. Suarez, tom. 4.

A præterquã, quod promissio diuina, in qua iustitia tam satisfac. tionis, quam meriti fundatur, vt infra dicemus, non fit hominibus in peccato mortali manentibus, sed iustis. Secundum dici non potest, nisi mere gratis: vbi enim reuelatum est, aut vnde constat Deum hac liberalitate vt cum inimicis suis, vt eis remittat pœnas, pro quibus ipsi vere non fatifaciunt, cum lex generalis sit, vt quantum quis glorificauit se in delictis, tantum detur ei tormentorū, & è contra generalis etiam lex sit, vt quod sine charitate fit, nihil proficit.

An possit homo fatifacere pro vno peccato, & non pro aliis.

ET hinc optime intelligitur obiter resolutio eiusdem communis dubii, an possit homo fatifacere pro vno peccato, non fatifacendo pro aliis. Certum est enim ex dictis quando aliquis est debitor pœnæ æternæ pro aliquo peccato, non posse pro aliis remissis fatifacere, nisi prius ille reatus pœnæ æternæ auferatur. Certum etiam est, durare culpam, etiam veniali, non posse quempiam pro pœna illi debita fatifacere: quia quãdiu durat culpa, est homo dignus pœna ratione illius: repugnat ergo satisfecisse pro pœna ante culpæ remissionem. Atque hinc fit, posse iustum fatifacere pro pœna temporali debita, ratione peccati mortalis, vel venialis remissi, non fatifacendo pro alia veniali culpa: quia veniale peccatum non tollit statum satisfaciendi, nec alio modo impedit. Vnde sicut homo potest consequi remissionem vnus peccati venialis, & non alterius, ita potest pro pœna vni debita fatifacere, & non alteri. Certum denique est si homini iusto plura sint peccata remissa, & pro singulis aliqua superflua luenda pœna, posse pro parte pœnæ fatifacere, quauis totam non persoluat: & tunc de nomine erit quæstio, an sit dicendus fatifacere pro vno peccato tantum, an pro omnibus partialiter.

An reuiuiscant bona opera in mortali facta.

Secundo ex dictis expeditur aliud dubium, quod hic incidenter occurrit: scilicet, an bona opera facta in mortali peccato, adueniente gratia reuiuiscant quoad effectum satisfaciendi ex opere operantis, vt nunc loquimur. Non enim defuerunt qui hoc affirmauerint, vt referunt S. Tho. & D. Bonau. Sed non est vera, nec probabilis sententia, & contrarium docent omnes Theologi, D. Thom. supra quæstionum. tertia, Bonauentura quæstio. quarta, Palud. articulo 3. quæstio. quarta (cui Soto contrarium falso imponit) & alii auctores citati. Ratio est, quam supra disputatione septima, tetigimus: quia illa opera fuerunt non mortificata: sed omnino mortua: quia, cum à principio caruerint vita gratiæ, valore etiam tam ad satisfaciendum, quam ad merendum caruerunt: & ideo, sicut postea non reuiuiscunt ad meritum, ita neque ad satisfac. tionem: gratia enim postea adueniens, illa non informat: & consequenter, nec dignitatem, nec valorem confert.

Addit vero D. Th. supra, ad 3. esse quædam opera pœnalia, quæ permanentem effectum in homine relinquant, vt ex elemosyna remanet carentia alicuius boni temporalis: ex ieiunio corporis debilitas, & de iis inquit, posse valere ad satisfaciendum adueniente charitate, quauis in peccato facta sint. Quam sententiam aliqui eius discipuli non probant, alii illius mentem non explicant quam esse existimo, non quidem quod præteritus actus in peccato factus incipiat habere valorem satisfac. tionis, hoc enim

D. Thom.
 Bonau.
 Richard.
 Durand.
 Palud.
 Alenf.
 Marfil.
 Henric.
 D. An.
 Adrian.
 Caiet.
 Soto.
 Pet. Seb.
 Vitor.
 Ledesm.
 Trident.

Obiect.
 Soluunt.

Dub. 1.

Dub. 2.

Respondetur
 D. Thom.
 Bonau.
 Palud.

Explicatur
 locus
 D. Thom.

satis improbat ratione facta: sed quod ille effectus a tali actu relictus, & postea in statu gratiae voluntarie acceptatus, Deoq; in satisfactionem oblatus ad hunc effectum conferat. Et ideo dicit D. Thomas priora opera valere ad satisfactionem: sed non esse necessarium ea opera reiterare, quia quantum ad id, quod de eis manet, per poenitentiam Deo accepta sunt: quod intelligendum existimo, si per novum interiorem actum talis effectus, qui est veluti poenitentia quaedam, Deo offeratur, & sic videtur eandem sententiam docere Syluester verb. *Satisfactio*, quaest. 7. Alij (vt Petrus Soto) exponant, huiusmodi opera, quae effectum relinquunt, non esse iteranda, id est, iterum in satisfactionem imponenda: quia ratione effectus deseruire possunt in medicinam peccatorum, quod etiam verum est, moraliter intellectum: quia non tam facile huiusmodi opera iterantur propter effectum, quem relinquunt, saltem quandiu ille durat.

Syluest.

Soto. Medin.

D Thom. Gloss.

Gregor.

Daniel.

August.

Quem fructum habeant bona opera in mortali facta.

Tertio huius doctrinae occasione hic quaeri potest, quem fructum habeant haec bona opera extra gratiam facta, si neque ad meritum, neque ad satisfactionem valent: quae res in materia de gratia proprium locum habet, disputatur tamen a Doctoribus 4. distinctio. 15. & a Soto dist. 19. quaestio. 1. Medin. tit. 3. q. 2. Nauar. c. 27. 267. & praelud. 3. n. 7. Breuiter tamen dicendum est: primum, haec opera, quia honesta sunt, ex se esse expedienda, & quasi natura sua disponere hominem ad similia opera facilius exhibenda. Secundo valent ad impedienda peccata, & consequenter ad mitigandam inferni poenam, non quidem minuendo eam, quae peccatis aliis debetur, sed impediendo maioris reatum. Et ita est intelligendus D. Tho. 3. p. q. 89. art. 6. ad 3. August. quem citat, & Glossa in cap. *Quod quidam*, de Poenit. & remis. quauis illa de fructu horum operum non bene sentire videatur. Tertio, valere dicuntur ad premium aliquod temporale, quod de congruo intelligendum est: quia, vt dixi, peccator nullius meriti de condigno capax est. Et ita est intelligendus D. Th. supra de qua re videri potest Grego. in c. *Cauendum*, de poeniten. d. 3. Quarto, valere possunt ad impetrandum a Deo aliquod auxilium, praesertim si ex gratia fiant, iuxta illud Prou. 15. *Per misericordiam, & fidem purgantur peccata*, & Daniel 4. *Peccata tua elemosinis redime*, & alia similia, quae ex Scripturis obiecta sunt, & hoc modo commode exponuntur, vt videre licet in August. Epist. 105. & lib. 50. Hom. homil. vltima.

ASSERTIO II.

Qui decedit in mortali, non posse satis pati in vita futura.

Dico secundo, Qui in peccato mortali decedit, non potest satis pati in vita futura pro reatu poenitentiae, ex peccatis dimissis relicto. Hanc docent omnes auctores citatione praecedenti conclusionem, excepto Durando, & ad eam confirmandam valent omnia, quae supra quaest. 87. adduximus ad probandum, veniale peccatum non posse in inferno remitti. Est enim fere eadem ratio: quia poena per se debita veniali peccato temporalis est, & omnis remissio, seu liberatio tam a culpa, quam a poena, est effectus gratiae. Ratio vero propria est: quia apud Deum nulla poena valet ad expiandum delictum, seu reatum eius, nisi voluntarie acceptata, quia Deus non punit peccatum solum in aliorum exemplum: sed praecipue propter compensationem debitam, vt qui vo-

luntarie peccauit, voluntarie puniatur: & sicut peccatum intulit iniuriam Deo, ita poena in illius honorem redundet: sed in inferno nulla poena voluntarie acceptatur, neque vilo modo refertur a peccatore in Dei honorem, vel satisfactionem: ergo nulla poena sufficit ad tollendum reatum. Et confirmatur: quia alias etiam poena huius vitae, vt suspensio iurisdictionis, valet (praesertim in opinione Scoti) ad minuendum reatum poenitentiae temporalis coram Deo, etiam si peccator summa cum impatientia, & Dei offensione illam sustineret, consequens vero absurdissimum est, & contra omnes sanctos, vt infra in speciali quaestione dicemus. Denique contraria sententia nullum habet fundamentum: nam poena aeterna commutatur in temporalem non quancunque: sed voluntariam, & (vt ita dicam) amabilem, & quia homo in inferno nunquam huiusmodi poenam perfoluit, mirum non est, quod simpliciter puniatur. Nec propterea Deum poenitet gratia, seu libertatis factae: quia ipse iam remittendo peccatum contulit gratiam, & constituit hominem in statu, in quo posset hanc poenam perfoluere: homo vero postea sua culpa se constituit in eo statu, in quo non posset satisfacere, nec debitam perfoluere poenam.

Contra sententiam praesertim.

ASSERTIO III.

Ad satisfactionem necessariam esse gratiam viatoris.

Tertio ex dictis concluditur, ad propriam satisfactionem esse necessariam gratiam viatoris. Quae etiam est communis sententia, & solum fere expositione indiget. Oportet enim propriam satisfactionem a satisfactioe distinguere, potest enim homo, si in gratia decedat, cum aliquo reatu temporalis poenitentiae participi in purgatorio, donec a reatu liberetur, vt infra in propria disp. ostendemus, & ideo nunc de illa non loquimur: quia ad illam non proprie requiritur status vitae, quanquam nec omnino sint illegitimae extra viam, cum nondum ad gloriam peruenerint. Propriam vero satisfactionem vocamus illam, quam homo assumit, vt illam purgatorij poenam compenset, & ad hanc dicimus requiri gratiam viatoris. Quod primum in diuina ordinatione fundatur, per quam tempus huius vitae concessum est ad huiusmodi effectus gratiae consequendos; quia quandiu homo hic viuere, est quasi in certamine, & palastra, in alia vero vita, si reatum habet, puniatur quasi in carcere, & vnusquisque recipit prout gessit in corpore. Praeterea est alia congruentia; quia homo in hac vita, sicut organo corporis ad peccandum libere vsus est, ita dum in eodem corpore poenitentiam agit, eodem organo, & eadem voluntate vitatur, vt de seipso vindictam sumat, & ideo quandiu hic viuere, seipsum iudicare potest, & punire, postea vero diiudicabitur, & puniatur a Domino, quando iam non erit tempus commutationis poenitentiae, sed executionis sententiae suae.

SECTIO III.

Utrum satisfactio requirat opus liberum, & moraliter bonum, ad satisfaciendum factum.

Tria in hoc titulo insinuantur, quae breuissime possunt expediri. Dico ergo primo, satisfactionem exhibendam esse per opus, seu poenam aliquo modo voluntariam seu liberam. Ita docent omnes Theologi dist. 15. & 16. qui propterea in definitione satisfactionis ponunt, vt voluntaria sit & in hoc a coacta punitione illam distinguunt. Et ratione prima proba-

Satisfactio nem esse liberam per opus liberam. Conclutio prima.